







De  
**LOCIS APO-  
DICTICIS**

THESES

*Pro Loco, in inchyto Collegio Philoso-  
phico Lipsiensi, consequendo,  
publicè proponit*

**M. ANDREAS BAUER,  
CIZENSIS.**

Ad Diem VII. Maij.  
Vertentis Annj  
1614.



*Aristoteles l. 1. post. Analyt. c. 7.*

*Χαλεπόν το γινῶναι ἢ ἐκ τῆς ἐκάσθ' ἀρχῶν  
ἴσμεν, ἢ μὴ ὅπως ἔστιν εἰδέναι.*

**L I P S I Æ,**  
Excudebat LAURENTIUS COBER.



*Acquisit. a. M. B.  
g. in schola Nic.  
ma. as Weber.*



Fragment of text from the adjacent page, including words like "quoniam", "in", "pro", "probatione", "et", "N", "et", "omnes", "equale", "frate", "causa", "pre", "ntar.", "dicar", "pr", "em", "co", "dus", "lo", "dus".



Θ Ε Ω τῷ αὐτεργῶ καὶ βοηθόμῳ!

THESIS I.

**N**Equaquam inanis curiositatis est, ceu leviter quidam existimant, occupare ingenium in pernoscenda locorum apodicticorum natura.

2. Etenim in omni disciplinarum genere sine his, veluti κριτηρίοις, discerni nequeunt ea, quæ summam habent necessitatem, qualis in propriis ac solidis disciplinarum probationibus & probationum objectis requiritur, ab iis, quæ locum in ejusmodi probationibus habere non possunt.

3. Eorum verò tres, Naturæ Genius Aristoteles, re-<sup>1. Post. An.</sup> censet, quos ob summam & palmariam, qua maximè gau-<sup>c. 4.</sup> det scientia demonstrativa, necessitatem, vulgò Gradus Necessitatis vocare assolent: Infimum, quem κατὰ πάντος; Medium, quem καθ' αὐτὸ; Summum, quem καθόλου, constituunt.

4. Hi ad unum omnes licet fortuitis ὁμῶς opponantur: inter se tamen æqualem necessitatem non habent: Infimus pollet necessitate magnâ, majore medius, maximâ supremus, quæ est causa cur infimus absq; medio, medius absq; supremo, supremus verò non absq; medio, neq; hic absq; primo inveniatur.

5. Quia verò prædicatio infimi gradus cæteris sit generalior, cum sit naturâ prior, & non ἀντιπρέφῃ, κατὰ τὴν τῆ εἶναι ἀκλόγησον, priorem considerationis locum fortitur. <sup>1. 1. post. c. 4.</sup>

6. Qui quidē ἀποφατικῶς sic describitur. Κατὰ πάντος τῆ το <sup>S. 29.</sup> λέγω, ὃ αὐτὸ ἢ μὴ εἶναι μὲν, ἴσως ἢ μὴ, μηδὲ ποτὲ μὲν, ποτε ἢ μὴ.

7. At verò κατὰ φατικῶς ita potest declarari: De omni subje-



Thom. lect. 9. **subjecto prædicati voco, quod & de subjecto universali, & semper enunciatur.**

com. in 1. prior. **8. Evidens hinc elucet discrimen** Ἐκαστὰ παρῆς & prioris & posterioris ἀναλύσεως: quorum illud Prioristicum, istud posterioristicum, Scholasticis barbarè, sed non barbaro sensu, nuncupatur.

Thetist. c. 9. **9. Illud quidem, cum solam subjecti universalitatem** requirit, ad quam syllogismi forma, quæ ibi consideratur, satis esse potest: tum non unam Enunciationem, sed plures, imò integri Syllogismi συζυγίας & combinationem, si non actu, saltem potestate, complectitur.

Zubarel. l. 1. **10. Istud verò flagitat, partim ut subjectum prædicationis sit universale, & cum** περὶ διορισμῶν universali sumatur, atq; ita insit toti subjecto, & omnibus ijs, quæ subjecti ambitu continentur: partim ut prædicatum eidem subjecto, sine ulla temporis, loci, aut similibus ἐξαιρέσεων exceptione semper insit.

Incomm. l. 1. **11. Exempla hæc esse possunt: Omnis cygnus est albus: Omnis nix est alba: Omnis corvus est niger.**

post. c. 4. **12. Quod tamen non accipiendum est de Tempore** simpliciter: Quæ enim per externam causam insunt, semper non insunt: Sed de omni tempore, quo per suam causam in actu positam, tale prædicatum suo subjecto infallibiliter inest.

text. 20. **13. Quis non videt ex hujus infimi gradus consortio** excludi Enunciationes, partim illas, quæ non perpetuò sunt veræ, quæq; alicujus contrarii particularis ἐνστασις aut limitationem patiuntur: partim negativas, licet eorum subjectum signo universali sit exornatum: partim indefinitas & particulares, quibus cum κατὰ παρῆς amicè conspirare haud potest.

Arist. l. 1. **14. Sed hîc notandum, has Enunciationes: Sol lu-** cet: Mundus est; &c. esse κατὰ παρῆς: quippe harum με-



καδικῶν, ut & similia, subiecta, ex universalium censu re-  
movenda non videntur.

15. Nam si plura sub se actu haberent, de quibus præ-  
dicari possent, haud inepta forent de illis prædicari: καθό-  
λας γὰρ, ὃ ἐπὶ πλείονων πέφυκε κατηγορεῖσθαι. Et alibi: ὃ πλείο-  
σιν ὑπάρχειν πέφυκε

1. περὶ ἔξου-  
c. 7.  
l. 2. pr. phil. |  
c. 13.  
l. 2. post. Ar.  
c. 13. §. 2.

16. Atq; hæc universalitas dicitur virtualis, itemque  
negativa, & distinguitur à positiva, quando universale actu  
plura habet, in quibus inest.

17. Medius assignatur locus prædicationi καθ' αὐτὸ,  
quæ majorem prædicati cum subiecto connexum, adeoque  
majorem etiam in Enunciatione constituit necessitatem.

18. Siquidem in illa prædicatum non est commune ac-  
cidens, sed vel pertinet ad essentiam subiecti, vel essentiam  
necessariò comitatur.

19. Quia verò iste non est uniusmodi, iccirco Philoso-  
phus primò omnium quatuor ejus modos, & quasi species  
enumerat: cumque contraria ἀλλάγηλα elucescant cla-  
rius, simul cum istis quatuor significationibus modos de-  
clarat oppositos.

Arist. l. 1.  
Soph. El. c. 15.  
l. 3. Rhet. ad  
Theod. c. 2.  
ibid. 17.

20. Primus eorum, quæ PER SE prædicantur, his  
exprimitur verbis: καθ' αὐτὰ λέγω, ὅσα ὑπάρχει ἐν τῷ ἑῷ ἔστιν.  
vel ut alibi loquitur, καὶ ἑστίας καὶ κατὰ τὸν λόγον, τὸ ἑῷ εἶναι  
λέγοντα.

l. 2. Eth. Nic.  
c. 6.


21. Ex quibus constat requiri hîc non modò, ut id,  
quod prædicati locum tenet, etiam κατὰ φύσιν, citra men-  
tis discursum, insit subiecto, & id subiecti locum teneat,  
quod similiter, remotâ nostrâ cogitatione, in natura sub-  
jiciatur alteri, sed etiam ut prædicatum ad essentiam sub-  
juncti, ejusque definitionem pertineat.

Averr. in  
l. 1. post.  
comm. 30.  
Crell incomm.  
l. 1. post. c. 4.  
Zabal. l. 1. de  
Pop. nec. §.  
c. 9.  
Idem in c. 11.

22. Tria prædicationum genera huc referuntur, aut  
quando integra definitio prædicatur, aut genus, aut diffie-  
rentia, sive ambo hæc proxima sint, sive remota.

23. Genus enim remotum, remotaque differentia licet  
in de-

l. 1. post.



in definitione speciei, expressè non ponantur, tacitè tamen & καθ' ἑσόντοια, ceu partes essentielles, in genere proximo & differentia εἰδοποιῶ includuntur.

24. Exempla addo, quæ possunt esse vades ac sponsores præceptorum.

25. Sic in naturali scientia: Homo est animal λογικόν: Homo est animal: Homo est naturalis: Homo est corpus aut substantia: Homo est animatus aut sensu præditus.

26. Sic in morum doctrina: Virtus est habitus: Virtus est μετριοτική: Virtus consistit in mediocritate ad nos relata, ac ratione viri prudentis definita.

27. Ex his tamen unum duntaxat prædicationis genus ad demonstrationem utile est, in quo scil. differentia proxima & ultima subiecto attribuitur, & minorem propositionem in simplici demonstratione facit indemonstrabilem: Cætera verò inutilia.

28. At licet tota definitio sit ἀναπόδεικτος: Tamen quia in differentia sola delitescit causa, à qua accidentis demonstrabilis essentia unicè pendet, nec quicquam ad id confert genus definitionis, iccirco sola quoq; sufficit ad minorem propositionem demonstrationis constituendam.

29. Hujus quoq; modi privilegio gaudere videntur omnia prædicata, quæ partes rei essentielles, i. e. materiam & formam exprimunt, ut: Homo constat ex corpore & anima rationali: quia, secundum Porphyrii effatum, in substantiis, τὸ μὲν γένος ἔοικεν ὕλη, μορφή ἢ ἡ διαφορά.

30. Abire hinc jubentur hæ Enunciationes: Plato est Plato: Homo est homo: Animal est animal: quæ aliàs Identicæ nuncupantur: Etenim ejusmodi meræ sunt ἀδολεαχίαι, nec ullum habent in disciplinis usum; mens quippe cognitionis avida per eas nihil addiscit.

32. Quid? quod nec essentialia ipsis aptari queant περὶ κείμενα. Hinc est, quòd Averrões istas prædicationes, crudas

In Isagog.  
c. 7.

1. Prior. An.



crudas & insipidas, inque sine abominationis positas esse pronunciet.

33. Proprium quoque generis de specie, per se prædicari asserit Flacius: Sed contra veritatis naturam: si-  
quidem propria affectio, siue generis ea sit, siue speciei, de  
nullius rei est essentia. l. 3. *Apoth.*  
c. 19.

34. Prædicata secundi PER SE modi, his describuntur verbis: καθ' αὐτὰ λέγω, ὅσοις τῶν ἐνυπαρχόντων αὐτοῖς, αὐτὰ ἐν τῷ λόγῳ ἐνυπάρχουσι τῷ ἢ ἐστὶ δηλῶν. h. e. Ea voco prædicata secundi PER SE modi, quæ & subiectis insunt, & ipsa vicissim subiecta, in eorum prædicatorum definitione sumuntur.

35. Apparet hinc ὀφθαλμοφανῶς, hujus cum antecedente partim κοινωνία, partim διαφορὰ.

36. Κοινωνία quidem, quia utrobique; & πρὸς καθήγορίαν, & πρὸς ὑπερξίν prædicatum in est subiecto.

*Flacius in  
comm. l. 1. post.*

37. Διαφορὰ verò, quia primi modi prædicatum dicitur ἐσιῶδες, quoniam subiecti constituit essentiam, ideoque; vel est definitio vel pars definitionis. c. 4.

38. At modi hujus prædicatum vocari potest ἐπρσιῶδες vel τῇ φύσει παρεπόμενον, quia non ad essentiam & definitionem subiecti, sed necessario consequitur subiecti essentiam ita, ut illud in prædicati definitione sumi oporteat.

39. Vnde facillè intelligitur in hujus modi societatem, tum proprias affectiones, tum propria accidentia, esse admittenda, quæ duo, ex quorundam iudicio, non temerè confundenda.

40. 1. Illæ enim à causis pendent internis, adeoque semper suis πρώτοις δεκτικῶσι insunt: Ista à causis externis, quibus positæ, ponuntur: sublatis tolluntur.

41. 2. Illæ κατὰ φύσιν seu secundum naturam insunt omnes: At multa propria accidentia, in quorum definitionibus subiecta sumuntur, etiam πρὸς φύσιν, seu præter naturam insunt, veluti sunt omnes morbi corporisq; vitia.

42. Sed

42. Sed hæc ad usum transferenda: Sic peccatum Originis inest homini carnali generatione procreato: Bona opera in sunt justificato per fidem.

43. Nam nemo solidè definire potest malum originis, nisi simul hominis carnaliter procreati mentionem faciat: nec quid sint bona opera, à quoquam intelligi possunt, nisi in horum definitione expressè ponatur mentio justiciæ, fidei, aut ejus, qui fide sit justificatus.

44. In Philosophia tot reperiuntur prædicata hujusmodi, quot sunt genera & species, idque non tantum verum est in disciplinis theoreticis, sed etiam ijs, quæ *παιδείῃ* aut *πράξει* sibi propositam habent.

45. Sic in naturali scientia: Mobilitas inest copori naturali: Motus circularis, cœlestibus corporibus: Propensio ad putredinem, corporibus mixtis.

46. Sic virtuti morum per se inest, esse rem optimam & præstantissimam: esse laudabilem.

47. Observandum autem hîc, quòd prædicata modi hujus duùm sint generum.

48. Quædam enim simplicia, quæ de subjectis sigillatim enunciantur, ut: homo est docilis.


49. Quædam verò non sunt simplicia, sed ex compositis constant, quæ non sigillatim, sed cum disjunctione quadam de suis subjectis prædicantur, e. g. animal secundum naturam aut est masculinum, aut foemininum: aut est sanum aut ægrum.

50. Horum posteriorum ex oppositis constantium prædicatorum singula non recipiuntur cum suis subjectis, si κατὰ φύσιν ipsis attribuantur, licet ὅτι κατὰ φύσιν iis attribui possint subjecta. v. g. Omne masculinum est animal: non contra: Omne animal est masculinum.

51. Hisce duobus per se modis opponitur unus tantum per accidens, & quidem hisce verbis: ὅσα περιεχόμενα ὑπάρχουσι συμβεβηκότα ἐστίν, quæcunq; neutro modo per se in sunt, ea sunt acci-  
52. Vid

l. 1. post. c. 4.  
§. 32.

sunt, ea sunt acci-



52. Vbi vox Accidentis non substantiis opponitur, ut in categoriarum doctrina, sed τῶ καθ' αὐτὸ ὑπάρχοντι, & significat omne id, quod vel non ad essentiam rei pertinet, vel non consequitur necessariò ejus essentiam, veluti proprium, v. g. Homo est albus, Animal est Musicum.

53. Sed antequam ulterius progrediamur, ad reliquos per se modos, duo prius ad huc æquiori mentis trutinâ sunt pensitanda.

54. Prius est: An genus prædicetur καθ' αὐτὸ de differentia, ut, si dico: Rationale est animal. Iandunus cum aliis affirmare non dubitat.

3. Met. quest.  
12. cum Nic.  
col. Aman.  
1. post. c. 4.  
in dub.

55. Sed vero non consonum hoc esse effatum, hinc constare arbitror: Si genus prædicatur per se de differentia specifica, aut fit hoc in primo, aut secundo modo. Nam quod neque in tertio, neque in quarto hoc fieri possit, est ἐξω πάσης διαλέξεως.

56. Non in primo, quia in illo prædicatum non tantum subjecto debet inesse, sed etiam in illius definitione sumi: Sed ἡ δοκῆ μετέχειν ἢ διαφορῆ ἢ ἕως, differentia non est particeps generis.

Arist. l. 4.  
Top. c. 7.  
Scheck. ibid.  
l. 18.

57. Non etiam in secundo: quia differentia non est de definitione generis: Angustius enim non est de definitione latioris.

58. Quod si prædicatio generis de differentia non est PER SE, multò minùs erit καθόλου, ut volebat Themistius.

Iavel. 2. Mot.  
q. 2.  
Zabar. l. 2.  
de prepos.  
Neces. c. 4.  
Suar. dis. 6.  
f. 9. §. 23.

59. Posterius est: An primi modi enunciationes, quarum termini sunt reciproci, si convertantur, fiant secundi modi: & contrà: propositiones secundi modi per conversionem fiant primi.

60. V. g. An hæc: Homo est rationalis, quæ est in primo modo converti possit in hanc: Rationale est homo, quæ fit in secundo modo: Et contrà: Homo est risibilis, in secundo modo, converti possit in hanc: Risibile est homo, in primo modo:

B

61. Sed



in quest. Me-  
taph.

61. Sed nos cum Trombeta mutuum ejusmodi enun-  
ciationum per se ἀνεσποφλεῖ, à veritate alienam, absolu-  
tè censemus.

62. Est enim conditio in Enunciationibus primi &  
secundi modi communis, ut sint κατὰ φύσιν seu naturales.

Magist. Co-  
lon. 1. post.  
c. 4.  
Zabar. l. 1. de  
propof.

63. At verò si dico: Rationale est homo: Risibile est  
homo: sunt enunciationes ὡς κατὰ φύσιν, seu, ut aliis placet,  
inordinatæ & indirectæ, quia Homo, qui in datis Enuncia-  
tionibus est prædicatum, non inest extra animam re ipsa in  
rationali vel Risibili, sed potius subjecta hæc insunt præ-  
dicato, Homini.

Aver. 7.  
Met. com. 59.  
& 4. Phys.  
com. 33.  
Themist. 1.  
post. c. 38.  
Zabarel. de  
quar. fig. c. 12.  
Et. l. 1. de pr.  
Nec c. 6.  
1. post. t. 137.  
Tolet. de In-  
div. q. 2.  
Titell. l. 1.  
conf. dial.  
c. 25.

64. Etenim Enunciatio κατὰ φύσιν seu ordinata est,  
quando id prædicatur de subjecto, quod extra animam  
ipsi inest, & quando prædicatum vel est æquale, vel latius  
subjecto.

65. ὡς κατὰ φύσιν verò seu inordinata est, cujus subjectum  
extra mentis decursum inest prædicato, & est ipso latius.

Et. l. 1. de pr.  
Nec c. 6.  
1. post. t. 137.  
Tolet. de In-  
div. q. 2.  
Titell. l. 1.  
conf. dial.  
c. 25.  
l. 2. de pro.  
pos. Nat. c. 13.

66. Unde non satis est ad Enunciationes primi vel se-  
cundi modi PER SE, ut prædicatum sit de subjecti, vel sub-  
jectum de prædicati definitione, sed requiritur etiam, ut  
hoc fiat modo naturali.

67. Iccircò nec hæc Propositio est per se: Animal  
est homo: quia subjectum latius patet prædicato.

68. Zabarella illam Enunciationem: Rationale est  
risibile: & similes, per conversionem fieri primi modi af-  
firmat: sed, quòd tamen pace tanti viri dixerim, num af-  
sentiar, non parùm dubito, cùm in censum prædicatio-  
nū quarti per se modi commodius referri posse videantur.

69. Tertius modus prædicationis per se, etsi nihil va-  
leat ad conficiendas demonstrationes: Tamen à Philoso-  
pho proponitur, ut multiplex vis & significatio ἔκαστ' αὐτῶν  
explicetur & intelligatur.

Pacius in  
com. l. 1. post.  
c. 4. p. 284.

70. Ejus descriptio hæc est: ἡ ἔσθια, καὶ ὅσα τὸδε τι ση-  
μαίνει, ἔχ' ἕτερόν τι ὄντα ἐστὶν ὅπερ ἐστὶ: Substantia & omnia quæ  
hoc-



hoc-aliquid significant, non sunt aliud quid, quàm hoc-ipsu-  
m, quod sunt.

71. Liquet hinc sub hujus ambitu foveri Enunciatio-  
nes, quæ in rerum natura non desiderant ὑποκείμενον πρὸς  
ὑπαρξίν, quo opus habent omnia accidentia substantiis op-  
posita: veluti sunt, non modò substantiæ singulares, ut Pe-  
trus est; sed etiam universales, ut: Homo est: animal est.

72. Secunda enim substantia licet non sit extra singu-  
laria αὐθύπαρξι: Tamen sine subiecto πρὸς ὑπαρξίν subsi-  
stet, & est ipsa singularium substantiarum, quas suo com-  
plectitur ambitu, essentia, aut saltem essentialis similitudo.

73. Huic opponitur prædicatio κατὰ συμβεβηκός, in  
qua subiectum non est res αὐθύπαρξι substantia, sed ac-  
cidens substantiæ oppositum, cujus propria affectio est;  
εἶναι ἐν ὑποκειμένῳ. s. de subst.

74. In quarto per se prædicationis modo, τὸ καθ' αὐτὸ  
idem significat, quod δι' αὐτὸ propter ipsum, ut expressè do-  
cet Philosophus, inquiens: τὸ μὲν δι' αὐτὸ ὑπάρχον ἐκάστῳ,  
καθ' αὐτὸ δὲ μὴ δι' αὐτὸ συμβεβηκός; quod non propter ipsum,  
illud est accidens, sive per accidens inest.

75. Hujus privilegio fruuntur omnes attributiones, a-  
nalyticæ quæ ad nullum superiorum trium modorum per  
se pertinent, veluti sunt in quibus causæ externæ, Efficiens  
scil. & Finalis attribuuntur suis effectibus, & hi contrà illis.

76. Sed ut rem totam penitiùs cognoscamus, duo  
cum primis hîc observanda veniunt.

77. 1. Externam causam aliam esse per se, propter  
quam effectus sequitur, veluti vulnus cordis est causa per  
se mortis, si modò propter ipsum animal interiit: aliam  
esse per accidens, propter quam non sequitur effectus, ut:  
Fossio thesauri: aut ambulatio, coruscationis seu fulguris.

78. 2. Inter causas per se non parùm quoq; esse dis-  
criminis.

79. Nam quædam earum in demonstratione locum  
habent,

habent, si reciprocentur cum suis effectis, seu, si causa sit *ἐμὸνον* cum suo effectu, & vice versa, veluti est diametralis interpositio terræ inter Solem & Lunā, Eclipseos lunaris.

80. Quædam verò non habent locum in demonstratione, si non reciprocentur cum suis effectis, veluti, si quis jugulatus, & quidem propter jugulationem interiit.

81. Cernitur autem hic quartus modus per se, quod locus habet in demonstratione, non tam in prædicatione causæ de effectu, vel contra, effectus de causa, quam in quadam effectus consecutione sive illatione ex sua causa, & contra causæ conjunctæ, ex suo effectu.

82. Insolentes enim minusq; propriæ sunt hæ prædicationes: *ἀκίνησία* cordis est mors: Æquilibrium rationis est dubitatio: sicut & vice versa: Mors est *ἀκίνησία* cordis: Dubitatio est æquilibrium rationis.

83. Sed priora quidē exempla in quibus causa loco subiecti ponitur, & effectus loco prædicati, ita resolvi possunt: *ἀκίνησία* est quiddam efficiens mortem: Æquilibrium rationis est quiddam efficiens dubitationem.

84. Posteriora verò, in quibus contra effectus loco subiecti ponitur, & causa loco prædicati, hoc modo: Mors est quiddam ortum *ἀπὸ τῆς ἀκίνησιος* cordis: Dubitatio est quiddam ortum ab æquilibrio rationis.

85. Non igitur mirum est, si causæ externæ & earum effectus proprii, difficilimè formularum Syllogisticarum vinculis quasi & compedibus astringi possint.

86. Atq; hinc peti potest distinctio duorum per se modorum, à duobus posterioribus: quia illorum prædicata necessariò insunt subiectis: At istorum non est tanta necessitas.

87. Nam primæ substantiæ, quæ primariò dicuntur esse tertio per se modo, nequaquam subsistunt necessariò: videmus enim modò hos, modò illos mori: Neq; etiam necessariae semper sunt quarti modi attributiones, cum prædicatum cum suo subiecto non sit semper *ἀντισπορον*.

88. Idcirco nisi subiecta & prædicata quarti hujus modi,

vel ad primū, vel ad secundū reduci queāt, non est inter illa  
necessaria ac definitiva connexio, quæ & in propositionib.  
& conclusionib. demonstrationū semper inesse consuevit.

89. Reducitur ad primum, si causa attribuatur suo  
effectui: quia effectus, loco subjecti positus, absq; men-  
tione causæ definiri nequit.

90. Ad secundum si effectus tribuitur suæ causæ:  
Causa enim subjecti loco posita, effectus, qui prædicati vi-  
ce ponitur, perfectam ingreditur definitionem.

91. Opponitur huic quarto modo prædicatio acci-  
dentalis, in qua causa per accidens attribuitur effectui  
proprio, vel contrà.

92. Postremò sufficientiam horum modorum aliter  
alii tradunt: ast iste discursus quorundam interpretum  
*καρτεσιέπων* nobis non parùm arridet.

93. In omni enunciatione prædicatum aut reipsa di-  
stinguitur, à subjecto, aut non distinguitur.

94. Non reipsa distinguitur, cùm significat *ὁφίσταται*  
subsistere, seu *ὕπαρξιν*: Hinc tertij per se modi prædicatio.

95. Reipsa autem prædicatum distinguitur à subjecto  
bifariam aut enim ipsi inest & jungitur; aut non inest  
& ab eo separatur.

96. Si prædicatum inest subjecto, aut pertinet ad ejus  
essentiam & definitionem, hinc primus per se modus:  
aut essentiam subjecti perpetuò comitatur, non autem  
constituit, hinc secundus per se modus.

97. Si verò prædicatum revera non inest subjecto, sed  
ab eo distinguitur, ita tamen, ut inter subjectum & prædi-  
catum sit definitiva connexio, qualis est inter causam *ὁμό-  
ζωνον*, ejusdemq; causæ proprium & reciprocum effectum,  
hinc oritur quartus per se dicendi modus.

98. Supremus isq; summus restat necessitatis gradus,  
qui cæterarum prædicationum omnium primi & secundi,  
in quibus adhuc aliquid residet contingentia, non solum

B 3,

ἐπινός-

ἐπανόρθωμα, sed etiam supplementum est, & perfectio; adeoque *θειγκός* jure vocari potest: quòd sine hoc nulla enunciatio in perfecta demonstratione locū habere possit.

99. Etsi verò vox, ἡ καθόλου sit ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγόμενων: Cæteris tamen significationibus missis, hīc καθ' ἕνω ὑποκειμένω notat nihil aliud, quàm respectu certi & definiti subjecti, conditionem prædicati, quæ summam in Enunciationibus efficit necessitatem.

100. Hujus supremi gradus naturam ut luculentius Philosophus explicet, duas affert descriptiones.

101. Prior est: καθόλου λέγω, ὅ αὐτὰ πᾶσις δε ὑπάρχει, καὶ καθ' αὐτὸ, καὶ ἢ αὐτὸ. Universale prædicatum voco, quod & de omni subjecto enunciatur, & per se eidem inest, & quatenus ipsum.

102. Ut enim prædicatum aliquod sit & dicatur in Enunciatione καθόλου, tres concurrere oportet conditiones:

103. 1. Partim ut dicatur, κατὰ πᾶσις de subjecto universali universaliter sumpto, omniq; tempore.

104. 2. Partim ut prædicatum inest καθ' αὐτὸ, vel primo vel secundo modo, siquidem hi duo tantum modi enunciationes suppeditant necessariò veras.

105. 3. Partim ut prædicatum subjecto inest ἢ αὐτὸ five cum reduplicatione subjecti, quæ exigit, ut prædicatum per se inest subjecto, secundum propriam & vernaculam ejus naturam.

106. Id quod etiam in doles dictionis ἡ καθόλου, satis arguit, ut scil. prædicatum ὅλον totum five universum inest subjecto, nec uspiam in rerum natura, extra illud aut absq; illo reperiat.

107. Exempla sunt ὅμηροι τῶν λόγων: Omne animal est sensu præditum: Omne corpus naturale est κινητὸν: Omnis homo est capax scientiæ, & vice versa.

108. Hinc facilè judicium ferri potest de Enunciationibus, in quibus licet prædicatum inest per se subjectis: Tamen

men



men nequaquam sunt καθόλα, siquidem nec æqualia sunt  
subjectis, neque cum ijs reciprocantur, veluti in his enun-  
ciationibus: Omnis homo vivit. Omnis homo est sen-  
su præditus.

109. Etsi enim PER SE insunt homini: tamen non  
insunt ipsi, quatenus homo est, nec per intimam & pro-  
priam hominis naturam.

110. Siquidem homo, non quatenus homo, vivit, sed  
quatenus habet animam vegetatricem: neque homo per  
propriam naturam sensu præditus est, sed per naturam  
animalis.

111. Nec tamen cujuslibet Enunciationis reciprocae  
prædicatum esse καθόλα putandum.

112. Multa enim offeruntur exempla reciprocarum  
enunciationum, quarum prædicata etsi retrocomeent  
cum subjectis: non tamen revera καθόλα dici possunt, ve-  
luti in his Enunciationibus: Omnis homo potest incedere  
erecto corpore: Omnis homo potest exercere opificia.

113. Prædicata hæc quidem sunt ἀνίσροφα: veruntamen  
ista prædicata non sunt καθόλα, non attribuuntur ἢ αὐτῷ.

114. Non enim homo potest erecto corpore incedere:  
sed quatenus spinam habet & crura, secundum eam pro-  
ducta in rectum: Ideoque Galenus huic prædicato objicit,  
piscem ἐρενόσκοπον: Nec homo quatenus homo potest  
exercere opificia, sed quatenus duas habet manus.

115. Atque ex his πορισματικῶς infert Philosophus: O-  
mnia prædicata καθόλα ἐξ ἀνάγκης ὑπάρχειν τοῖς πράγμασι,  
seu constituere enunciationes verè demonstrativas.

116. Sicuti & prædicationes primi & secundi per se  
modi, quibus nihil est ad mixtum contingentia, veluti sunt  
in quibus differentia εἰδοποιὸς & ἴδιον πᾶσι attribuantur  
subjectis.

117. Atque hoc est quod Philosophus subjicit his ver-  
bis: ὅτι καθ' αὐτῷ, καὶ ἢ αὐτῷ, ταὐτὸν.

118. Ex-

118. Excluduntur itaq; hîc à demonstratione per particulam ἢ αὐτῶ, omnes Enunciationes per se, in quibus genus aut generalis differentia prædicatur de specie, aut etiam propria generis affectio attribuitur speciebus.

119. Posterior descriptio his innuitur verbis: τὸ καθόλου δὲ ὑπάρχει τότε, ὅταν ἴπὶ τυχόντων καὶ πρώτης δεικνύηται. Universale tunc inest, cum de quolibet subjecto & primo monstratur.

120. Duo essentialia requisita hîc sunt attendenda.

121. Requiritur enim primò ut καθόλου seu universale prædicatum demonstraretur ἴπὶ τυχόντων de quolibet subjecto non promiscuè, undequaq; extriviis abrepto, sed κατὰ τῶν ἰσῶν sive universaliter sumpto.

122. Deindè ut ἴπὶ πρώτης demonstraretur, de primo scil. subjecto, cui prædicatum universale per se & primò inest.

123. Sic. e. g. aptitudo ad putredinem primò inest corpori mixto: Mobilitas inest primò corpori naturali: quia omne corpus naturale, quatenus naturale est, mobile est sive πρώτον δεικνύον mobilitatis. Et omne corpus mixtum, quatenus mixtum, putrescere potest, sive, est πρώτον πάσων aptitudinis ac propensionis ad putredinem.

124. Sunt quidem & alia multa subjecta, apta nata moveri, ut: Elementa, mixta, animata: sed nulli horum est πρώτον δεικνύον.

125. Similiter multa sunt corpora apta nata putrescere, sc. carnes, poma, pyra, sed non sunt πρώτα δεικνύονα, quibus primò insit ejusmodi affectio, sed si obnoxia sint putredini: idq; fit, quatenus participant corpus mixtum ejusque essentiam.

126. Hic gradus vulgò alias καθόλου πρώτον appellari consuevit, in cujus appellationis usu ne erremus, observare debemus καθόλου quidem in hac duarum vocum conjunctione significare prædicatum, relatum ad subjectum: At vice versâ πρώτον notare subjectum, relatum ad prædicatum.

127. Sicut

127. Sicut enim prædicatum conclusionis verè demonstrabilis debet esse universale, h. e. inesse subjecto omni, Per se, & quatenus ipsum sive cuilibet primò: ita subjectum quoq; debet esse *περὶ τὸν*, respectu prædicati, cui primò insit.

128. Quod cum fit, conclusio ad demonstrandum ritè constituta est, nec aliud quicquam relinquitur, quàm ut causa illius prædicati *καθόλου* universalis conjuncta sive *ὁμόλογον* & simpliciter proxima indagetur, ad efficiendam demonstrationem & scientiam.

129. Cujus quæstio in duobus potissimum versatur, 1. quidnam cui primò insit. 2. Propter quam causam insit. Illud quidem ad ritè constituendam demonstrationis conclusionem: Istud ad absolvendam demonstrationem parandamq; scientiam pertinet.

130. Convenit autem prior descriptio cum posteriore, si sententiam & vim conditionum, quibus utraq; constat consideres.

131. Nam verba *Ἐπι τῷ τυχόντι* eandem planè vim habent cum verbis *κατὰ παντός*: Et cum universale prædicatum dicitur demonstrari *Ἐπι τῷ περὶ τὸν*, idem est ac si quis dicat: prædicatum demonstrari de subjecto per se, & quatenus ipsum.

132. Differunt verò bifariam: 1. Illa enim communis est prædicatis tam propositionum quàm conclusionum demonstrationis: Ista non ita latè patet, sed competit tantum prædicatis universalibus conclusionum demonstratarum.

133. 2. Illa locum habet in omnibus prædicatis universalibus quarumlibet enunciationum, etiam cum absolutè & absq; relatione ad demonstrandum considerantur: Ista ad usum duntaxat in demonstratione refertur.

134. Sed ut harum definitionum differentiæ rectiùs intelligantur, tenendum est, duum generum esse omnia prædicata *καθόλου*.

135. Quæ-

135. Quædam enim sunt *αἰαπόδευκτα*, quæ de suo sub-  
jecto per causam demonstrari nequeunt: quia insunt quo-  
que *ἀμέσως* sine medio & sine causa.

136. Quædam verò *διπόδευκτα*, quæ de suo primo subje-  
cto per medium sive causam demonstrari possunt, quia in-  
sunt etiam illi præter illam causam.

137. Prioris generis prædicatorum universalium ex-  
empla sunt: Omne rationale aptum est ad capeffendas dis-  
ciplinas: Omne corpus naturale constat ex materia & for-  
ma: Omne corpus mixtum compositum est ex contrariis  
& inter se luctantibus perpetuò principiis.

138. Idem de cæteris aliarum disciplinarum exemplis  
judicandum.

139. Nam non afferri potest ulla alia causa propter  
quam: Omnis homo credens in filium DEI habeat vitam  
æternam, quàm quia credit in filium DEI.

140. Neq; ulla causa alia afferri potest, propter quam  
is, cujus depravata est per lapsum & contumaciam primo-  
rum parentum tota essentia, habeat peccatum originis,  
quàm quia eo modo natura ejus depravata est.

141. Posterioris generis exempla sunt: Omne corpus  
mixtum, quatenus mixtum, putredini subjacet: Omne cor-  
pus animatum, quatenus animatum, nutritur: sic, omnis  
homo naturali generatione procreatus ex semine, labe o-  
riginis inquinatus est.

*Arist. 1.1.  
post. c. 5. §. 38.*

142. Accidit autem non rarò, ut in hac universali de-  
monstratione non parùm hallucinemur.

*Arist. 1.2. p.  
p. c. 14. §. 55.*

143. 1. Cum adfectionem speciei, quæ unum indivi-  
duum habet, veluti Sol, Luna, Mundus est, tanquam de in-  
dividuo demonstramus: existimantes, de iis individuis de-  
monstrationes universales esse nullas.

144. 2. Cùm adfectionem generis *αιωνίμω* vel ignoti,  
de speciebus vel aliquibus, vel omnibus, quæ *πράγματα ἰδιό-  
διαφείροντα* Aristoteli dicuntur, demonstramus: existiman-  
tes

res omnes species ratione ambitus & amplitudinis æqui-  
pollere generi: Sed decipimur.

145. Siquidem omnes species generi non æquipollent  
ratione Naturæ: cùm accidens, à naturâ generis emanans,  
nullum habeat essentialem connexum cum natura alicu-  
jus speciei vel omnium.

146. 3. Cùm de parte subiecti demonstramus, id, quod  
de toto seu πρώτω subiecto erit demonstrandum.

147. Sed quo tandem modo universale primum co-  
gnoscimus? κειθέριον tale esto: Illud est subiectum per se  
seu primum universale, quo sublato & quidem primò, tol-  
litur affectio: eodem posito, ponitur statim ipsa affectio.

148. Tàm arcto quippe, tamq; indissolubili nexu inter  
se cohærent propria affectio & πρώτων δεκλικόν, ut ad unius  
affirmationem sequatur alterius affirmatio, & ad negatio-  
nem negatio.

149. Sic e.g. quia & sublato corpore naturali, perimitur  
aptitudo ad motû, Et posito eodem, ponitur: rectè corpus  
naturale statuitur esse πρώτων δεκλικόν aptitudinis ad motum:  
non autem vel substantia, neq; etiam cœlum, aut animal:

150. Non substantia, quia deest posterior conditio, siqui-  
dem posita substantia, nequaquã ponitur mobilitas: Quot  
enim quæso substantiæ sunt, quæ nequaquam sunt mobiles,  
cùm quia materiæ expertes sunt, etiam motu vacent?

151. Non etiam cœlum vel animal, quia deest prior  
conditio, quam κειθέριον requirit: sublato namq; vel cœ-  
lo, vel animali non statim tollitur mobilitas: quia sunt alia  
corpora naturalia motus δεκλικὰ præter cælestia, & præter  
animalia.

152. Ιccircò ἀπιζατωλῶς εἰπεῖν, danda est opera, scien-  
ter aliquid demonstraturis, ut cuiq; subiecto primo pro-  
prias attribuunt affectiones, generi quidem generibus tan-  
tùm, veluti: mobilitatem corpori naturali, non cœlo, non  
elementis, non mixtis: specierum autem speciebus, veluti,  
equi equo; hominis homini.

Arist. l. 1.  
post. c. 5. §. 43.  
Crell. incomm.  
l. 1. post. c. 5.  
p. 26.


Tolet. in  
comm. l. 1.  
post. c. 5.

C, 2

153. Et

153. Et licet in omni disciplinarum genere non dentur demonstrationes propriè dictæ: Tamen ut hîc etiam ritè constituentur didascalicè probandi ζητήματα sive δεικνύματα & propria à communibus separentur, non tantum non sunt confundendæ affectiones generum & specierum inter se, sed etiam essentialia à non essentialibus accuratè distinguenda.

154. Atq; ita breviter ὡς ἐν τύπῳ adumbravimus nobilissimam locorum apodictorum doctrinam, quam qui rectè cognorit, tam conclusiones quàm propositiones, verè demonstrativas à non demonstrativis, didascalicas à non didascalicis: vernaculas à non vernaculis in omni disciplinarum genere, ritè dijudicabit.



### Ζητήματα.

I. *Utrum aliquid sit Theologicè verum, quod Philosophicè falsum, & vice versa?*

**S**uperioribus temporibus nonnulli Philosophiam cum Theologia hostiliter pugnare asseruerunt. Sed plerisq; aliis contraria placuit sententia, quibus & nos adjicimus calculum. Siquidem tam Philosophia, quàm Theologia habet autorem Spiritum sanctum, adeoq; pro fundamento veritatem, quæ est in mente divina. Cùm ergò DEUS sit veritas, & omnis veritas sit radius ex mente divina emissus; Diabolus autem sit pater h. e. causa prima mendacii, si statuamus aliquid, quod sit verum in Philosophia, & falsum in Theologia, & vice versa, sequitur, aut veritatem quandam à DEO non esse, aut Diabolum alicujus disciplinæ autorem esse: aut deniq; unius ejusdemq; disciplinæ autorem esse simul cum DEO Diabolum: quid absurdius? Quid aliud Philosophia, nisi contemplatio rerum à DEO creatarum in mundo, qua DEUS cognoscitur & celebratur? quid aliud, nisi explicatio legis naturæ, quæ est lex DEI & veritas DEI. Annon Theologia multis rebus utitur à philosophia petitis, perq; eam explicantur? Sive enim Theoreticam, sive Practicam respicias Philosophiam, ex utraq; termini simplices adhibentur innumerabiles: qui absq; philosophiæ sobriæ cognitione nec intelligi rectè, nec doceri ritè, nec contra

Rom. 2. §. 4.

Rom. 1. §. 18.

contra veritatis hostes probè defendi queunt. Propositiones & conclusiones ipsas quod attinet, nec illæ sunt contrariæ, sed diversæ tantum. Nam in Theologia principia sunt nobis revelata: philosophia verò ex natura, quam DEUS fecit, seu ex naturali lumine extructa: Atqui DEUS & natura revelata & innata non sunt contraria, sed diversa tantum, ideoq; non etiam disciplinarum contrarietatem, sed diversitatem introducunt. Contrarias easdem esse non diffiterer, si easdem res & unum idemq; objectum considerarent, & de iisdem contrarias assertiones afferrent: At quis non nescit, quod philosophia consideret ea, quæ naturali mentis lumine apprehenduntur: quæ verò mystica, rationem superant, & ad lumen fidei pertinent, ea nec philosophia, nec ulla eius pars sibi vendicat, sed hæc Theologia ex verbo revelato agnoscat. Quæ ulla etiam foret certitudo, si ea, quæ in una disciplina vera sunt, in altera essent falsa. Per accidens autem fiunt contrariæ disciplinæ propter perversam applicationem principiorum, impingentem partim in immotam legem de regundis disciplinarum finibus: ἐκ ἑνὸς ἕξ ἄλλου γίνεσθαι μεταβαίτα δεξαι. Et paulò post: ἐκ τῆ αὐτῆς γίνεσθαι ἀνάγκη καὶ τὰ ἀκρὰ καὶ τὰ μέσα εἶναι: Partim in canones oppositionis legitimæ, qui à Philosopho accuratè explicantur in l. 1. τῆ ἐρμηνείας. Sed concludo verbis Scheckii: Ego quidem sic iudico, tum demum fore beatas & quietas Ecclesias, si aut philosophi veri dent operam Theologiæ aut Theologi philosophentur piè.

c. 7. 1. post.  
 An. S. 1.  
 ibid. S. 4.

l. 1. de demonst.

II. An voces significant φύσιν, an θεοσφ?

Quæstio hæc non intelligatur de vocibus in genere: sed de iis quæ conceptus ab anima formatos manifestant. Hos ortum & significationem à natura habere negamus. φύσις δὲ τῶν ὀνομάτων ἐστὶν ἕν ἔστιν, ἀλλ' ὅταν γίνεσθαι σύμβολον. Et alibi: λόγος ὡς ἅπασ σημαντικός, ἐχὼς ὅργανον ἢ, ἀλλὰ κατὰ συνθήκην. Si innata est rerum noticia, unde est, quòd tanto labore addiscere cogamur! unde est, quòd nisi in illis te exerceas, facilè iterum excidant! unde est, quòd omnes homines in usu vocum non consentiant? unde est, quòd naturâ eadem manente voces varientur? Sic ergò colligimus: Si voces rerum φύσιν à natura rerum sunt, vel sunt à natura ipsarum rerum, quæ appellantur: aut à natura res ipsas appellante: Non illud: Res enim sic suum quæq; nomen simul atq; nata est, secum afferret: Non istud: Essent enim in mente quasi picta & scripta quod Philosopho non placet. Tantum in homine est facultas fingendi vocabula, quibus res designamus, & essentias rerum aliqua ex par-

l. τῆ ἐρμ.  
 c. 2.  
 Et c. 4.  
 Julius Pacius  
 in marg. h. l.

l. 3. de anima  
 d. 1. S. 14.

l. 3. de prepar.  
Evangelica.

te interdum exprimimus in vocibus, quæ speciei derivative Grammaticis dicuntur. Estque hæc facultas post lapsum vehementer admodum corrupta, longeque fuit excellentior in Protoplasto, qui ceu primus ἄνοματῆς, ὁπθείας δυνάμει κρείττονι τὰς χῆ φῶ-  
σιν ὑποσηγορίας τέθεικε, ut docet Eusebius.

### III. An demonstrationes dentur in omnibus disciplinis?

χ. Topic. c. 4.

Philosophus scitè: εἰδότες ποσαχῶς λέγεται, ἕ μὴ ὡραλογιστικῶν  
Iccircò ne verborum aliquem ambiguitas decipiat, observetur ὁμωνυμία vocabuli Demonstrationis: simulque inter probationem demonstrativam & Analyticam: & denique inter necessitatem REI & Veritatis. I. Demonstrationis vox bifariam sumitur: 1. Impropiè, pro quavis indifferenter probatione & confirmatione, qualicunque etiam argumento ista perficiatur. 2. Magis propriè, pro omni Syllogismo, qui in quavis disciplina ex propriis & vernaculis principiis extruitur. Ita in omnibus disciplinis demonstrationes hujus significationis dantur. 3. Propriissimè, pro eo saltem syllogismo, quo conclusio in scientiis demonstratur, solius cognitionis causa. II. Analytica probatio habet sese, ut genus ad speciem: Est enim συλλογισμὸς sive argumentatio ἐκ τῶν ἐκείνων λημμάτων ἢ ἀρχῶν ἐκάστου μαθήματος. Eademque respectu rerum subjectarum, tanquam genus distinguitur in duas Species: In demonstrativam, quæ est in scientiis ac rebus necessariis; Ac didascalicam seu Analyticam, εἰδικῶς sic dictam, cujus usus est in reliquis disciplinis, quæ non τὰ ἐξ ἀνάγκης ὄντα, sed ἐνδεχόμενα sive ea, quæ sunt ἐφ' ἡμῶν, ut loquitur Philosophus. III. Necessitas REI est, qua res ipsa à natura producta, non potest aliter fieri, nec in nostro consistit arbitrio. Necessitas autem Veritatis vel propositionum illa vocatur, qua propositio aliqua necessariò vera dicitur, ut pote quæ non rationem aliquam probabilem habet in oppositum. His observatis hypothesebus, cuius promptum erit respondere tum ad datam quæstionem, tum ad aliorum argutias, qui demonstrationes καὶ ἀκρίβειαν in practicis dari disciplinis, affirmare allaborant.

l. 1. Top. c. 1.  
l. de Soph. El.  
c. 2.

### IV. An causa particularis determinet actionem εἰδοποιητικῶν sive quoad speciem?

Negent alii, stylumque in verba & rationes torqueant, quibus videlicet volupe est veritati obloqui, & inanes rimari ineptias: Nobis pro affirmativa hæc producta δόξα militabit. Nam  
quam



quam prima causa, in se spectata, possit æquè hominem & aquilam producere, ratio nulla est alia quàm quia concursus ejus, à concursu hominis vel aquilæ, ad hujus potius, quàm ad alterius speciei actionem effectumq; producendum definitur & contrahitur. Sic Sol est causa universalis, quæ agit hoc seu eò ordinata est, ut calefaciat: Calefactio hæc indifferens est ad varios effectus producendos: & à causis particularibus limitatur & determinatur ad hoc potius, quàm ad illud efficiendum. Iccircò quod ex cadavere à Sole calefacto excitatur fætor, aut ex porro vel aromate similiter calefacto existit gratus odor, id non in solem, sed in particulares causas & materiales referendum est. Sic motus DEI, qui generalis seu communis est. h. e. indifferens ad actionem, determinatur ad hanc vel illam actionem particularem ab hominis voluntate, ita ut actio particularis, prout est bona & res positiva, sit quidem à DEO: sed non ideò fit talis (v. g. vitiosa) quia est à DEO, sed quia est à voluntate hominis & diabolo persuadente & instigante. Nec est, quod cum contrariæ sententiæ patronis illud objicias: Causa secunda nihil agit sine prima: sed causa secunda peccat Ergo & prima. Tunc dico: Tria in peccato potissimum concurrere: 1. Ipsam actionem, quæ sanè prout est actio, non est peccatum: Sic enim omnes actiones essent peccatum & DEI & Angelorum. 2. Determinationem finium, quæ neque etiam peccati rationem habet, cum fit à DEO. 3. Αταξία sive vitium in actione, quæ nomine peccati propriè venit. Atque sic Major loquitur de actione, & est actio: Minor de αταξία sive vitio in actione: oriturq; Terminorum quaternitas. Neque absurdum est concurrere aliquid ad actionem, nec tamen actionis inordinationem. Nam hæc etiam in hisce videre licet exemplis, à claudicatione, *δυσφωνία* cytharæ, & Horologiis petitis. Motio ipsa à locomotiva est, non ipsa claudicatio: sonus à cytharædo, non verò soni vitium: minorum rotularum circum agitatio à rota majori, sed non similiter inordinatio. Iccircò de DEO, ad actionem concurrente, vitium tamen non causante, nec probante, cogites, ut malefana gens adversariorum blasphemat: quorum impietas detestanda, & non Stylo anserino refutanda, sed pilo tartareo repellenda. Sed satis.

Vos disquirite: nos, cum bono DEO,

FINIMUS.






Οὐ πόνῳ, ὦ φιλότης, σοὶ ἀρκίος ἐστὶ διδάσκειν  
Παῖδας ἀπαιδύτους ἐνὶ τῇ χολῇ, ἢ χολή ἐστὶν  
Ἀτρεκέως τε, νέων πολυωφελές ἀχαλίνων τε  
Ἔργασήμιον· Αὐτὰρ ἔρις νόον ἤδη ἐπαίγῃ  
Σοὺ ἀγαθῇ, πολύαινῳ, ἵν' ἔρνεσι φοῖβος ἀμιλλῶν  
Δημοσίῳ τῆσδε σὺν ἀπαγέλλης λογικῆσι  
Σῆς φάσεσιν· Τόδε δὴ ἔνδειγμα σέθεν φιλομόχθου  
Σπυρῆς ἐστὶν ἑναργές, ἀέθλα ποθεινὰ φερέσης  
Εὐνοίης τε σωτηγορίας τε σ' εὐφρονεόντων.

Τὸ Ἰπικραῖνοι ὁ θεὸς μετόπισθεν ἔελδωρ !

M. Maternus Schilterus,  
SS. Theol. Baccal.



**D**um lego, quæ publicæ committis themata limæ,  
Esse puto doctum, docte Magister, opus.  
Gratulor ex animo, doctos quod quæris honores,  
Præmia fert doctus non peritura labor.

M. Christianus Bachmanus,  
Lipsiensis.

F I N I S.



Op. var. 87<sup>6</sup>

V  
De

